

Processione S. Marci, ac Rogationum minorum, praesertim si occurrat officium duplex?

R. *Si fiat Processio, legenda Missa Rogationum, secus de Festo cum commemoratione earundem.*

212. Juxta Rubricam Breviarii et Decreta S. C., Antiphona finalis B. M. V. praeter tempus paschale dici debet stando omnibus diebus Dominicis infra annum, à primis vespers sabbati usque ad occasum solis ipsius Dominicae. Quaeritur ergo.

1. An à primis vespers sabbati usque ad occasum solis in Dominica semper standum sit etiamsi non recitetur officium Dominicae, sed vel sabbati vel Feriae secundae?

Ad 1. *Affirmative.*

2. Utrum sit genuflectendum, si post occasum solis officium Dominicae recitetur.

Ad 2. *Negative.*

213. Quando quis causâ itineris, vel studii, vel aliis de causis extra Patriam, sive Dioecesim versetur, debet ne recitare officium sui capituli, Ecclesiae et Beneficii, vel etiam simpliciter Dioecesis, an verò officium illius loci, in quo reperitur?

R. *Beneficarii tenentur semper ad Officium propriae Ecclesiae, simplicis verò*

*sacerdotes conformari possunt officio Loci ubi morantur.*

214. Anniversaria, quae celebrantur à Capitulis, Collegiis, confraternitatibus &c. pro omnibus in genere Canonicis, Confratribus defunctis, possunt ne celebrari, si in illis diebus occurrat officium duplex?

R. *Negative juxta Decreta praesertim in Corduben. diei 10 Decembris 1773. (V. n° 248)*

215. *Crux*, quae Feriae sexta in Parasceve est detegenda, et adoranda debetne esse lignea, an potest esse etiam de metallo, praesertim si in ea lignum verae Crucis includatur?

R. *Servetur Rubrica Missalis, vel laudabilis consuetudo.*

216. In ultimo majoris Hebdomadae triduo est ne removenda à vasis Ecclesiae aqua benedicta?

R. *Affirmative, ac retinenda consuetudo illam amovendi.* Atque ita S. Congregatio decrevit et servari mandavit. *Die 12 Novembris 1831.*

217. In Belgio, sicuti in Gallia vi reductionis Festorum factae auctoritate Pii Papae VII plura sunt Festa, quorum solemnitas transfertur in Dominicam proximam concurrentem. Exinde plurimae enatae

sunt difficultates ad praxim, pro quarum solutione quaeritur:

1. An Missa canenda sit more votivo cum unica oratione in Dominica, quando Festum, cujus solemnitas transferenda praescribitur, incidit in ipsam Dominicam, v. g. anno praeterito solemnitas SS. Petri et Pauli?

R. *Negative.*

2. An commemoratio omnium SS. Apostolorum facienda in Solemnitate SS. Petri et Pauli, habeat locum in die Festivitatis vel in Dominica, in quam solemnitas transfertur, vel in utraque?

R. *In die Festi.*

5. In reductione Festorum S. P. Pius VII. „Eam legem adjunctam esse voluit, „ ut in Festis diebus, vigiliisque eas praecedentibus, quae suppressae decernuntur, „ in omnibus Ecclesiis nihil de consueto „ Divinorum Officiorum, sacrarumque Caeremoniarum ordine, ac ritu innovetur, sed „ omnia ea prorsus ratione peragantur, quae hactenus consueverunt.” Indultum 9 Aprilis 1802. An igitur in Festis, quorum solemnitas differtur in occurrentem proximam Dominicam, Officium publicum tam matutinum quam vespertinum peragendum est sicuti ante reductionem.

R. *Affirmative.*

6. An licet cantare Missam de Requiem corpore praesente in Dominicis, in quas transfertur solemnitas illorum Festorum I. classis? An illud licet in ipsa die Festivitatis?

R. *Servetur Rubrica sicuti ante Reductionem Festorum, et extendatur etiam ad Dominicam.*

8. Si in unam eandemque Dominicam incidat solemnitas translata. v. g. SS. Petri et Pauli, et Patroni Dioecesis, vel Parochiae, equidem celebranda erit dignior, an altera transferenda est in primam Dominicam; quae si fuerit impedita, an adhuc in aliam?

R. *Affirmative.*

218. Beatissime Pater: Reverendissimus Urbis Gratianopolitanae Episcopus non semel rogatus fuit, ut novas in sua Dioecesi Ecclesias solemniter consecraret. At juxta hujusmodi dedicationis officium quaedam difficultates occurrerunt, quae, ut jam non amplius eveniant, explanare velit Sanctitas vestra Oratori supplicis infrascripto benigniter attendens.

1. Officium Dedicationis Ecclesiae particularis, quod ritu annuali (id est solemnissimo) cum Octava celebratur, debetne tam

privatim quam publice inchoari á primis Vesperis pridie Dedicacionis, cum Matutino ejusdem Festi, vel incipere tantum Consecratione Ecclesiae facta, id est circumciter ad Horas minores?

2. Pontificale Romanum expresse innuit quod pridie Dedicacionis Ecclesiae Matutinum cum Laudibus canendum sit (ac proinde recitandum pro privatim dicentibus) de Sanctis, quorum Reliquiae recondantur in vase ante fores Ecclesiae posito. Illud Officium obligatne sub gravi? Numquid eo in die duplex Matutinum sit recitandum, unum de Sanctis et alterum de Dedicacione?

Hujusmodi dubiis per infrascriptum Oratorem relatis, in Comitibus ad Vaticanum hodierna die habitis Emi. et Rmi. Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis, rescribendum censuerunt: Ad 1. *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam, et á clero tantum servitio Ecclesiae strictim addicto.* Ad 2. *Officium de Dedicacione; vigiliae juxta Pontificale ante Reliquias de Sanctis. Ac ita rescripserunt et servandum esse mandaverunt. Die 23 Maii anno 1835.*

## NOTA.

*Sin embargo de haber dicho en el prólogo de este Cuaderno que el que quisiere saber los decretos antiguos de la S. C. R., podía ocurrir á Gabanto, Ferraris &c., habiéndolo reflexionado que muchos Clérigos no tendrán semejantes obras donde poderlos ver, me he determinado agregar aquí algunos de aquellos, que juzgó mas esenciales, sacados tambien de la misma coleccion.*

219, *An Cineres, qui super capita fidelium imponuntur feria quarta Cinerum debeant esse aqua maditi in modum luti, ut consuetum est in Ecclesia Egitanien., vel potius aridi in modum pulveris? = Sacra Rituum Congregatio respondit, Cineres aridos debere esse, et in modum pulveris in Ecclesia*

*universali. Et ita declaravit Die 23 Maii 1603.*

220. Quando debeat accendi Cereus Paschalis, quibus diebus, quibus horis, num tantum Dominicis, an etiam aliis diebus Festis, et in Missis, et Vesperis, an etiam in Matutinis solemniter celebratis = R. *Cereus Paschalis regulariter accenditur ad Missas, et Vesperas solennes in tribus diebus Paschae, Sabbato in Albis, et in diebus Dominicis, usque ad Festum Ascensionis D. N. J. Christi, quo die cantato Evangelio extinguitur ad Matutinum: et in aliis diebus, et solemnitatibus etiam solemniter celebratis non accenditur nisi adsit consuetudo, quod durante tempore Paschali accendatur, quae servanda esset. Ita decrevit, S. C. R. Die 19 Maii 1607.*

221. An in Feria sexta in Parasceve Particula immittenda sit in Calice cum tribus signis Crucis consuetis? = et S. C. censuit: *esse immittendam sine praedictis Crucis signis. Ita decrevit S. C. R. Die 7 Augusti 1627.*

222. Pro parte Capituli Cathedralis expositum fuit, quod Episcopus cum assistentia Canonicorum in Collegiata Ecclesia S. Secundi canit Missam solennem in die festivitatis ejusdem Sancti; et ideo quaesitum

fuit; an sine praejudicio sui juris possit idem Capitulum permittere, ut à Capitulo Collegiatae dictae Ecclesiae cantetur altera Missa ejusdem Sancti?

Et S. R. C. respondit: *non licere eodem die canere [alteram] Missam ejusdem Sancti. Ita decrevit Die 1. Augusti 1652.*

223. Institutum fuit à S. R. C. declarari: an in Ecclesia Parochiali Castriniani Alexanen. Dioecesis Hebdomadarius possit uti Stola in Canendis Divinis Officiis, quamvis Arcenpresbiter ejusdem Ecclesiae iis assistens illam deferre consueverit?

Et S. C. respondit, *neutri licere in casu praedicto deferre Stolam quae tantum in Sacramentorum administratione, et confectione adhibere debet. Die 7 Sep. 1658.*

224. An ad secundas, et tertias Benedictiones in Matutinis, et ad nonam lectionem, quae per celebrantem Canonicum, vel alium é numero Hebdomadarium stantem in stallis canonicalibus, vel prope Altare, tum etiam Pluviali indutum cantetur, Canonici, et reliqui de Clero stare teneantur?

Ad I. *Canonicus ad neutrum teneri, nisi Episcopo tantum Officium peragente. Et ita declaravit, S. R. C. Die 15 Februarii 1659.*

225. S. R. C. declaravit, *non licere Petro Mattheo Casaperio Archipresbytero, et*

primae Dignitati Ecclesiae Primatialis, et Cathedralis Civitatis Pissae, continuare in celebratione Missae cum quatuor candelis, et assistente ultra clericum, contra formam Decretorum S. M. Alexandri VII. de anno 1660., et sub praetextu, quod non comprehendat Dignitates, neque derogat consuetudine, ut ipse Archipresbyter praetendit. Hac die 21 Mart. 1671.

226. Quando ob aliquam causam est expositum SS. Sacramentum in Altari, dum cantatur Missa sollemnis: postquam mox recedendum est sine Processione: an debeat Populus cum eo benedici, necne?

S. eadem C. respondit. *Non debet cantari, nec celebrari Missa in Altari, ubi est expositum SS. Sacramentum, nisi sit pro eo reponendo; et si ex necessitate fieri opus esset, populus est benedicendus more consueto, et non cum SS. Sacramento.* Hac die 13 Jun. 1671. [1]

227. Aspersorium Aquae benedictae à quo porrigendum sit Episcopo, cum ad a-

[1] *Atiendan á este Decreto los que despues de la Misa de renovacion, hecha en el mismo Sagrario, dán la bendicion con el Santísimo.*

liquam Ecclesiam accedit?

Ad 2. *Aspersorium Aquae benedictae porrigendum esse Episcopo à prima Dignitate Ecclesiae tam Regularis, quam Saecularis, ad quam accedit, etiamsi adsit aliquis Canonicus, vel Dignitas Cathedralis, dummodo non adsit capitulariter, nec cum Indumentis Canonicalibus; tunc enim hujusmodi manus ad primam dignitatem Cathedralis spectare, sicut resolutum fuit in Louden 18 Januarii 1653. Et ita declaravit. S. C. R. Die 6 Aprilis 1680.*

228. An Canonici Cathedralis possint uti pileolo dum in circulo recitant cum Episcopo, *Hymnum Angelicum, Credo, Sanctus &c?*

229. An Canonici Assistentes possint eodem pileolo uti, dum, stante Episcopo legende *Introitum, Epistolam, Evangelium et Postcommunio?*

230. An, porrigens aspersorium Episcopo in ingressu Ecclesiae, possit uti pileolo, et cum eodem pileolo aspergi cum caeteris Canonicis?

231. An Canonici, confluentes in Festivitatibus extra Ecclesiam Cathedralibus sine habitu canonicali, debeant incensari?

Et eadem S. C. respondit: *In omnibus negative. Et ita declaravit, atque de-*

crevit. Die 31 Augusti 1680.

232. An in Processionibus candelarum, palmarum, et similium, quae fiunt per Ecclesias sine Sanctissimo Sacramento, si occurrat transire ante Altare, ubi occasione Missae fiat elevatio Sanctissimi Corporis Christi genuflectendum sit, et an ibi morandum, donec depossitus fuerit Calix &c.?

Ad 9. *Non pulsandum campanulam, quod si pulsetur, et advertatur elevatio, v. g. Corporis Christi, tunc genuflectendum, utroque genu a transeuntibus ante Altare, ubi Missa celebratur; et deposito Sacramento progrediendum; similiter si alii transeant in elevatione Calicis. Et ita declaravit S. C. R. Die 1 Martii 1681.*

233. Quaeritur: an qui in Sabbato infra aliquam Octavam B. Mariae Virginis recitat Officium de aliquo Sancto eo die occurrente volens celebrare Missam votivam de B. Virgine Maria, teneatur celebrare Missam festivam cum Gloria &c., et Credo &c.?

Ad 7. *Affirmative, sed sine Credo.*

234. An qui in Sabbato recitat Officium de B. Maria, volens celebrare Missam de aliquo Sancto, teneatur dicere Gloria &c. et Praefationem de Beata Maria propria illius diei: an vero Praefationem communem

sine Gloria?

Ad 8. *Dicendum sine Gloria &c., et cum Praefatione communi. Et ita declaravit S. C. R. Die 2 Decembris 1684.*

235. Propositum fuit dubium in S. R. C. An Canonicus Patriarchalium Urbis Diaconi munus exercens in Missa solemnii, post petitam benedictionem Evangelii, teneatur osculari manum Celebrantis, etiamsi ipse Celebrans non sit Canonicus, neque in aliqua alia Ecclesiastica Dignitate constitutus.

Et eadem S. C. respondit: *Teneri. Die 22 Aprilis 1690.*

236. An in depositione defunctorum in verbis illis: *Non intres in iudicium cum servo tuo Dñe., quia nullus apud te justificatur Homo &c.* quando defunctus sit mulier, aut sint plures defuncti possint verba: *servo tuo*, immutari in *Serva tua*, vel *Servis tuis* absque Sacrae Rubricae laesione?

Et S. R. C. respondit *servandum esse Rituale. Die 31 Augusti 1697.*

237. An in absolutionibus in die Commemorationis omnium Fidelum defunctorum, sit dicenda tota conclusio in oratione?

Ad 4. *Negative.*

238. An in Dominicis Adventus, et Quadragesimae, in quibus fit de duplici primae classis, sint cantandae duae Missae?

Ad 14. *Negative.*

239. An deficiente Subdiacono pro Missa solemni, possit per Superiores substitui constitutus in minoribus ad cantandam Epistolam, paratus absque manipulo?

Ad 18. *Data necessitate, posse permitti.* [V. n<sup>o</sup> 58.]

240. An Sacerdos Missam celebraturus transiens ante Altare, ubi fit populi communio, debeat permanere genuflexus, donec, et cuousque terminetur communio?

Ad 19. *Negative. Ita decrevit S. C. R. Die 5 Julii 1698.*

241. Utrum ex privata devotione Parochianorum petentium saepius per annum Anniversaria pro defunctis parentibus, fratribus, amicis et aliis defunctis, Missa solemnis in ruralibus Ecclesiis cantari possit de Requiem in festo duplici minori, altera Missa cantata de Festo, ubi adsunt plures, vel saltem duo Sacerdotes?

Ad 10. *Affirmative dummodo sermo sit de die vere Anniversaria à die obitus. Et ita declaravit S. C. R. Die 19 Junii 1700.*

242. Supplicante S. R. C. Joanne Baptista Cerereolo Clerico Majoricensi benigne declarari.

An in Ecclesiis, in quibus Festum SSmae. Trinitatis est primae classis, con-

currentibus Vesperis diei Octavae ejusdem cum duplici sequenti majori tantum, Vesperae debeant fieri integrae de die octava cum commemoratione sequentis, ut Rubrica generalis praescribit in Octavis Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, et Corporis Christi?

S. eadem R. C., ad relationem Emi., et Rmi. Dni. Card. Colloredi, censuit respondendum: *Affirmative. Et ita declaravit. Die 13 Septembris 1704.*

243. An dignior de Clero, à quo Celebrans in diebus Purificationis, Cinerum, et Palmarum recipit candelam, cineres, palmam, debeat accedere ad Altare cum, vel sine Stola? Et si sine Stola: An ipse debeat genuflexus sicut alii, vel stans inclinatus recipere candelam, cinerem, palmam à Celebrante, et osculari manum Celebrantis porrigentis candelam, palmam?

Ad 6. *Quoad primam partem sine stola: quoad secundam, cum genuflexione, et osculo manus. Et ita declaravit S. C. R. Die 14 Februarii 1705.*

244. Quaeritur: Utrum in Sabbato Sancto ad benedictionem Fontis dicendae sint junctis manibus Orationes, et Praefatio?

R. *Affirmative, nempe junctis manibus, et*

*apponantur proprio loco. Ita decrevit, S. C. R. Die 25 Septembris 1706. [§]*

245. An diebus, in quibus fit de Festo duplici, cum non possit dici Missa de Requiem nisi praesente cadavere, cantata Missae de Sancto, possit fieri in fine hujus Missae absolutio circa lecticam collocatam in plano Ecclesiae, canente Choro: *Libera me Dñe. &c?*

Et S. R. C. respondit *Negative. Et ita decrevit. Die 4 Augusti 1708.*

246. An SSimum. Eucharistiae Sacramentum in Processione, quae fit in festo SS. Corporis Christi, deferri debeat ab eo, qui Missam celebrat?

Ad 4. *Affirmative*

247. An idem servandum sit in Processione, quae fit in die Dominica infra octavam Corporis Christi, seu potius deferri debeat SSimum. Eucharistiae Sacramentum ab Archipresbitero, in casu &c?

Ad 5. *Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam. Et ita decrevit ac*

[§] *Gabanto en la parte 2ª titº 13 Rub. 4ª, dice que en todas las oraciones que se cantan fuera de la Misa deben estar las manos juntas ante el pecho.*

*servari mandavit. Die 23 Martii 1709.*

248. Cum in Ecclesia Cathedrali Cordubæ, ab antiquissimo tempore, prout assertum fuit, quamplurima Anniversaria solemnia, seu Missae cantatae de Requiem in die obitus Testatoris fundata reperiantur, alia vero, quorum numerus est maximus, relicta fuerint arbitrio ipsius Capituli cum clausula, ut celebrari debeant in aliqua ex diebus non impeditis, et in quibus celebrari valeant Missae de Requiem, juxta Rubricas Missalis; ac demum alia ex Statuto Capituli dictae Cathedralis intuitu gratitudinis erga benefactores, et pro eorum suffragio celebrari consueverint: proinde ex parte praefati Capituli dum omnibus supra expressis Anniversariis, ob exuberantem officiorum duplicium concessionem, satisfieri minime valeat: S. R. C. pro declaratione, quidnam in posterum peragendum esset?

Et S. eadem R. C. respondit: *Juxta votum Rmi. Gambarucci Archiepiscopi Amaseni, et Apostolicarum caeremoniarum Praefecti, nempe quoad Anniversaria in die vere obitus Testatorum praescripta, juxta dispositionem aliorum Decretorum sub diebus 22 Novembris 1664. 1. Decembris 1666. solemniter celebrari posse in Festis duplicibus, etiam majoribus; quo vero ad alias*